

1. Cor. 13

vt ad illam trinitatem que deus est: p nostro modulo: si tamen vel hoc possumus saltez in enigmate et per speculum contuendam exercitatio: in his inferioribus rebus mente veniamus. Huius igitur verba fidei quisquis i solis vocibus memorie comendauerit nesciens quid significant: sicut solent qui grece nesciunt greca verba tenere memoriter: vel latina similiter: vel cuiusque alterius lingue qui eius ignari sunt. Nonne habent quandam in suo animo trinitatem: quia et in memoria sunt illi verborum soni: etiam qui inde non cogitat et inde formatur acies recordationis eius quando de his cogitat: et voluntas recordantis atque cogitantis utriusque coniungit. Nullo modo tamen dixerimus istum cum hoc agit secundum trinitatem interioris hominis agere: sed potius exterioris: quia id solum meminit et quando vult: quantum vult intuetur: quod ad sensum corporis pertinet qui vocatur auditus: nec aliud quam corporaliu reru: id est sonorum: tali cogitatione imagines versat. Si autem quod verba illa significant teneat et recolat: iam quidem aliquid interioris hominis agit: sed non dum dicendus vel purandus est vivere secundum interioris hominis trinitatem: si ea non diligat que ibi predicantur: precipitur: permittitur. Potes est enim etiam ad hoc tenere atque cogitare vt falsa esse existimans: conetur etiam redarguere. Voluntas ergo illa que ibi coniungit ea que memoria tenebantur et ea que in acie cogitationis impressa sunt: implet quidem aliquam trinitatem: cum ipsa sit trinitas: sed non secundum eam vivitur: quoniam illa que cogitantur velut falsa non placeant. Cum autem vera esse credantur: et que ibi diligenda sunt diliguntur: iam secundum trinitatem interioris hominis vivitur. Secundum hoc enim vivit quisque quod diligit. Quomodo autem diliguntur que nesciuntur: sed tamen credunt. Nam questio ista tractata est in superioribus libris: et inuentum neminem diligere quod penitus ignorat: ex his autem que nota sunt diligi: quando diligi dicuntur ignota. Nunc librum istum ita claudimus: vt admonemus quod iustus ex fide vivit: que fides per dilectionem operatur: ita vt virtutes que ipse quibus prudenter: fortiter: temperanter iusteqque vivit: omnes ad eandem referantur fidei. Non enim aliter poterunt vere esse virtutes que tamen in hac vita non valent nisi vt aliquando non sit hic necessaria qualiumcumque remissio peccatorum: que non fit nisi per eum qui sanguine suo vicit principem peccatorum. Ex hac fide et talis vita quecumque notionis sunt in animo fidelis hominis: cum memoria continentur: et re-

cordatione inspiciuntur et voluntati placere reddunt quandam sui generis trinitatem. Quia imago dei de qua in eius adiutorio post loquimur: nondum in ipsa est: quod tunc melius apparebit cum demonstratum fuerit: vbi sit quod in futuro volumine lector expectet.

Explicit liber tertiusdecimus.

Incipiunt capitula libri quartidecimi.

- i. Que sit hominis vera sapientia  
ii. De fide que licet ad eterna pducatur: temporalis tamen est: et cum ad eternitatem ventum fuerit cessatura:  
iii. Quid illud sit animi: in quo dei imago perpetua est: et eterne spiritus trinitatis  
iiii. Quia natura anime etiam deformis et misere: nec vitam nec dei imaginez possit amittere.  
v. An etiam puulorum mentes nosse se possunt  
vi. Quia mens hominis sine cogitatione sibi meret conspicua esse non possit.  
vii. Quia aliud sit aliquid non nosse: aliud non inde cogitare  
viii. De principali mentis: in quo intuitus est summe imago trinitatis  
ix. An virtutes quibus ad eternitatem tenditur desinant: cum ad eterna pduxerit  
x. De cognoscibilibus temporalibus quorum alia cognitionem nostram perveniunt: alia non pcedunt.  
xi. An semp memoria preteritarum rerum sit: an vero etiam presentium.  
xii. Qua facultate mens rationalis obtineat: vt in eode dei imago resplendeat.  
xiii. De reminiscencia in deum: cuius semp capax est mentis natura.  
xiv. Quia etiam pura mens nec memoria sui caret: nec cogitatione: nec amore.  
xv. De mutabilitate mentis humane que fit vt sicut misera facta est ex beata: ita beata possit esse ex misera  
xvi. De reformatione mentis ad imaginez dei et quod modis spiritus appellato diuisis assignetur naturis.  
xvii. Quid sit inter regenerationem baptismi et renouationem que perficitur de die in diem in agnitionem dei.  
xviii. Possit etiam hominum corpore imagine dei accipi secundum quod christi caro factum est: cuius in mortalitati omnes sancti reformabuntur.  
xix. Qua sui parte homo ad imaginez et similitudinem dei factus sit ad quam proficere deo renouatur.

1ba. 2.  
Gal. 5.